



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 4. Mores Subalpinorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

N V M. 4. *Mores Subalpinorum.*

AD merces distrahendas facti sunt huius regionis incolæ. Milites optimi, & aptissimi ad insidias collocandas: peritissimè ex equis Nobilitas pugnat. Deliciis dediti sunt ferè, propter regionis amoenitatem. In principeum suum optimè affecti sunt, cui vivere, cui mori, cui bonorum iacturam pati gloriosum ducunt: ad scientias valde idonei sunt, licet pauci eorum literis incumbant.

N V M. 5. *Quomodo Sabaudica ditio accreuerit.*

SEMENTIS huius ditionis fuere Sabaudia, & Mauriena vallis, quæ cessere Beraldo, aut eius filio cùm Arelatense & Burgundicum regna defecere. Marchionatus Segusinus ab Adelaïde uxore Amedæi primi additus est. Sub Amedæo III. Comitatus Genuenis factus est clientelaris, ac demum per nuptias omnino adiunctus est. Ducatus Augustanus tunc temporis accesserat, siquidem concessus est hæreditarius Aymoni quarto filio Thomæ. Sub Amedæo filio Thomæ Comitis Flandriæ, & Sabaudiæ eius uxori Sibylla Bressiam cum agris adiacentibus attulit. Quando accesserit Pedemontium non facilè statui potest: dicunt Galli fuisse de patrimonio Comitis Prouinciæ, & ablatum Ioannæ anno Christi 1363. Humbertus II. dicitur in quibusdam titulis Marchio Italæ, cùm paulò antè fiat mentio Othonis Marchionis Italæ quem Adelaïs mortuo marito Amedæo primo duxit. Agnes Fociniaci Foucigny, hanc regionem attulit Petro auunculo Bonifacij. Quomodo Montemferratum sibi vindicet postea dicemus. Sub Amedæo VI. Fridericus Marchio Salussiarum rebellauit, sed sese turpissimè submittere coactus est. Asta, Vercellæ, Querium potentissimæ olim Republicæ bellis attritæ sese sponte submisérunt, ut hic taceam de Marchionatu Eporediæ cuius Principes olim potentissimi fuere, & tres vltimi Principes eius Imperij speciem occupauere. De Romanensi, seu Vallensi agro *le pays de Vaux*, Philippus frater Petri cum Imperatore Rodolpho acriter dimicauit; sed demum pace inita, in Sabaudicâ ditione satis diu perseuerauit.

N V M. 6. *De iuribus que sibi vindicat Sabaudus in praesentiâ.*

Primum ius sibi vindicat in REGNUM CYPRI, cuius etiam no-